



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Editcum contra concubinarios.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

laicis hominibus quandoq; concessisse, atque ob id partem fundi Ecclesiastici ipsorum a quatum dominis vendidisse intelleximus.

Idcirco his, atque alijs præterea causas animum nostrum mouentibus, volentesq; hac in re æquitati inhaerere, decernendum duximus prout decernimus.

Vt cuiuscunq; Ecclesiastico, Laicovi homini ius aquæ ducenda, aut deriuvanda vnde cunq; habenti, ipsam aqua per agros cuiuscunq; Ecclesiæ, ipsorumve Clericorum (eo tamen loco ex quo minus damnum incommodeumq; ipsi Ecclesiæ irrogetur) deriuare, eaq; omnia, que pro huiuscemodi deriuatione necessarij facienda erunt in ipsis agris, aut subtus, aut super rugias, aut aquæductus ipsius Ecclesiæ facere liceat.

Si tamen antea ipsius Ecclesiæ Rectori, Administratori, aut quoconq; titulo eam possidenti verum pretium agri ob id alienandi, quartaq; pars vltra ipsius pretij estimationem, ac dani, quod Ecclesiæ ob id inferri posse verisimile erit, arbitrio duorum in hac re peritorum communiter electorum solutum sit: quibus in estimatione discordantibus, vel de communi partium consensu tertius adhibetur, vel ab Ordinario detur, consensuq; maioris partis ipsorum omnis difficultas dirimatur.

Siq; præterea prouisum fuerit, ne etiam futuris temporibus reliqua Ecclesiæ prædia, per que aqua ipsa decurret, ex aqua ducenda, etiam tempore quo ex pluviis augebitur, inundentur, aliud ve damnum patiantur; atq; etiam cum subtus, vel super rugias Ecclesiæ aqua ducenda erit, Ecclesiæ cautum sit, ne aquæ superiores ipsius Ecclesiæ in inferiores decidant, aut alueus aquæ præter solutum elevetur, aut ob id solitus aquæ decursus aliqualiter impediat.

Isque præterea, cui aquæ deriuatio concessa erit, pontes, aliaque ædificia, que huic rei necessaria erunt, etiam lapidea, proprijs sumptibus facere, & manuteneare teneatur.

Ne tamen pretium, quod ex agro Ecclesiæ ob id vendito percipietur, in alios quam deceat, expediatisq; vissu, convertatur; id mandamus, vt pretium ip-

sui penes idoneum virum deponatur, deincepsq; in emptionem bonorum immobilium, si quantitas pretij ad id sufficiet, alias in reparationem Ecclesiæ, bonorumve ipsius, aut pro comparandis indumentis, aut vasis, rebusve alijs pro diuini cultus decoro, aut ipsius Ecclesiæ ornamento, arbitrio Reverendissimi pro tempore Archiepiscopi Mediolanensis conuertatur, ac distribuatur.

Insuper nè fraus, damnumve ipsi Ecclesiæ in pretio, locove per quem aqua ducenda erit, facile irrogari possit; id expressè prohibemus, nè contractus, conventione aliqua super premisis ipsiusve pretij solutio integra, aut pro parte fiat, nisi coram Reverendissimo pro tempore Archiepiscopo Mediolanensi, eiusve Vicario Generali, eove, qui ab ipso altero facultatem obtinuerit, vt ipsi contractui, conventioniue interesse possit.

Si secus factum fuerit, contractus, conventione, nullus, nullave fit, isque præterea, qui agrum Ecclesiæ inconsulte Ordinario alienare presumperit, arbitrio ipsius Reuer. Archiep. puniatur.

Vt autem Decretum hoc nostrum ad omnium, & singulorum notitiam, quoru interest, aut interesse poterit, facile peruenire possit: id volumus, vt ipso in via luis Ecclesiæ Metropolitanæ, & Palatij Archiepis. Mediol. affixo, ipsiusq; copia ibi dimissa, ita omnes, & singuli in ipso decreto comprehensi affiantur, & arctentur, ac si illis personaliter intitulatum fuisset.

Dat. Mediol. in Palatio Archiepis. die 21. Augusti. 1572.

Edictum contra concubinarios.

Carolus Borromæus miseratione dñna S. R. E. Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolan.

P Aftralis nostri officij, ac vigilatia ratio postulat, vt qui nostræ curæ traditi sunt, eos, si qui sunt, qui a reata, & christiana viuendi via aberrantes, in vitiorum sordibus viuant, ab ea improbitate ad meliorem vitam, ab ini-

quitate

quitate ad iustitiam, à peccatorum caligine ad lucem filiorum Dei reuocemus; itaq; cum ad nos delatum sit, nonnullos huius, & ciuitatis, & diœcesis homines suæ salutis oblitos, statuto ab Ecclesia tempore non confiteri, neque sanctissimum Eucharistie Sacramentum sumere; alios in concubinatu, aut adulterio viuere; alios etiam à connubij consuetudine recessisse; ac sœpè eos sui officij monitos, salutaribusq; cohortationibus ad resipiscendum excitatos, in carnis operibus non sine grauissima aliorum offensione, & maxima salutis suæ pernicie longius progrederi: nos propterea pro nostra Pastoralis muneric ratione, vt quantum in nobis est, oves aberrantes ad ouile compellamus, & in viam virtutis, vnde digressæ sunt, reuocemus; omnes Mediolanensis huius, & ciuitatis, & diœcesis tam sc̄eminas quid mares, qui proximo superiori Resurrectionis Domini Pascha confessi non sunt, aut sacro sanctæ Eucharistie sacramentum non sumplerunt; quiq; matrimonio coniuncti, sanctissimo hoc neglecto sacramento, connubij consuetudinem absque sanctæ Matris Ecclesiaz iudicio atque auctoritate dimiserunt; hos omnes, tum concubinarios etiam, ac adulteros, siue laici, siue clerici, cuiusvis etiæ dignitatis sunt, vehementerhortamur in Dominio, requirimus, ac semel, iterum, & tertio, trinaq; hac monitione premissa monemus; dantes duos pro primo, duos pro secundo, duos item alios dies pro tertio, & peremptorio termino, vt ipsi ad sex continuos dies desuis peccatis confiteantur, confessique Eucharistiam sumant, certamq; huiusc rei fidem nobis faciant; ac qui matrimonio iuncti sunt, a cuius cœluctudine, vt dictum est, se abduxerint, ad eam planè redeant; adulterique, concubinarij, adultere, & concubine, se ab ea peccati labore, mutuaque illa inter se prava consuetudine, ac domiciliis etiam vsu omnino remoueat.

Hecq; omnia in virtute sancte obedientie precipimus, ac mandamus, cum persona etiam excommunicationis latæ sententiaz, & aureorum centum, ac maioris minorisve summæ, quam arbitrio nostro pro delinquentium conditione reseruamus, eamq; omnem multam domini Sanctæ Mariz, quæ dicitur Del Socorro, adjudicamus; publicæ item pœnitentiaz, quam vt nobis expedire videtur, iniungemus, alijs preterea pœnis, sacro Tridentino concilio, & canonicum iure constitutis; quas nulla citatione, nullaq; declaratione facta, eos omnes, & singulos quos diximus, statim subiisse declaramus, cuiusvis generis, ordinis, gradus, & dignitatis illi sint, quæ huic talutari nostro edicto non paruerint.

Idemq; tibi N. proponimus atque edicimus.

Confesso autem illo sex dierum spatio, contumaces omnes, ac singulos monemus, & citamus, vt primo iuridico die, statim sequenti afferant causam, eamq; interim probent, si quam probabilem, habent, vel se habere persuadent, quâbrem eos, vel ipsorum aliquem cōdemnare, publicare, declarare, & cęt. publicaq; penitentia afficere, executionisque deniq; mandatum nos relaxare non debemus, vel Vicarius noster criminalis id efficere non debeat, & alij quibus nos hoc munus delegabimus.

Volumus preterea his nostris literis eorum vnumquemque ita teneri, vt si illi ipsi personaliter moniti, & citati essent, etiam si he literæ in cuiuslibet ipsorum domicilio lecte, & relaxata sint ab aliquo, præsertim curiaz nostraz Archiepiscopal publico nuncio; cui iurato ea de re fidem omnino habebimus.

Datum ex nostris Archiepiscopalibus ædibus die 21. Augusti. 1566.

L A V S D E O.

D E C R E-